

Flavi Augusti Musandri

DE

VINDICATIONE

PROSERPĪNAE

ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ

Gli Dei:

PLUTONE, Re degli Inferi

PROSERPINA, figlia di Cerere, da lui rapita

CERERE, Dea delle messi

Gli speleologi della “Commissione Grotte Boegan” (Trieste): in ordine alfabetico

CIANO (Cyānus), Luciano Filipas, duce degli speleologi

CIASPA (Ciaspa), Franco Gherbaz, speleologo ed alpinista

LUCIO (Lucius), Lucio Comello, elettrauto e specialista di illuminazione ipogea

Il “MAGO DELLE GROTTI” (Magus Specuum), Giuliano Zanini, comandante di marina

ROBERTO (Robertus), l’Arch. Roberto Barocchi, cantore italiano delle imprese della Boegan

Il “TOPO” (Mus), Franco Besenghi, segretario e tesoriere

Altri personaggi:

ULISSE (Ulixes), Re di Itaca e dei Cefaleni

Il Sig. MILIC (Milic), proprietario di trattoria sul Carso Triestino

1. Pectora Tartareis numquam caligine in antris
2. territa perdomitumque Erebum, quo robore avernas
3. ex Tergeste domus suboles patuisse per omne
4. iusserit aevum, agili versu citharaque canora
5. insece, Calliope: tenues descendere ad umbras
6. te duce, Musa, iuvat. Vestigia tanta sequamur
7. illorum iuvenum, quibus est incogniti abyssi
8. victa caverna minax et Iapydis unda Timavi;
9. praesertimque tui, qui Acheruntis carmine primo
10. traderis ad tenebras Italam duxisse Camenam,
11. dive Rōberte. Hominum generi tu nobile monstras
12. propositum, infernos solitus contemnere inani
13. relligione metus: pedibus dum conteris Orcum,
14. nos aequat tua opima simul victoria coelo.
15. Non adeo tumeam, stolidus ceu Marsya quondam,
16. ut maiore petam leviter cum vate duellum:
17. verum humilis veniam tibi epos, pater alme, docendus
18. quo inconcussa securi agitat nemora avia Carsi
19. vox Aquilonis. Ibi Latius te auctore poeta
20. instituar specuum, Zephyri dum nubila temptant,
21. Kal Veterisque sonant impulsa fronde lacunae
22. unde polo reparante animatur harundine murmur.
23. Te molcente fides capti dulcedine Nymphae
24. capripedesque simul Satyri per gramina sistant,
25. audiat atque cohors quanta virtute Cyānus
26. duxerit agmen, egens qua Lucius arte barathrum
27. luminis inlustrans reseret, rimasque per artas
28. quomodo despiciens subtilis se insinuet Mus.
29. Talia discipulus memorem sermone priori,
30. quae nigro placeat Grisae de vertice pinus
31. flare Noto, madidaeque ediscant rore cupressi,
32. lucus et induperet valles iterare Rosandrae.
33. Extremus sinus Adriaci porrectus ad Arcton
34. adluit aequoreis generosam fluctibus urbem,
35. quae Italiae fines alios tutata fidelis
36. excubiis populos iubet haud contemnere Romam.
37. Portus divitibus redolent fora mercibus Indis,
38. navibus evehitur pretiosis baca sabaea,
39. fert Aegyptus ebur, Slōvēnaque silva vicissim
40. mittit ad arva suas Thetidos ligamine quercus

41. coniunctas. Locuples lucis pharos ardet in altum
42. hinc pelagus nautasque monet, qui nocte corusca
43. litora amica petunt onerata pisce liburna.
44. In media Tergeste nitet suffulta columnis
45. centum marmoreis postesque ornata metallo
46. clara domus: patet aula fores ditissima doctis
47. tantum, quisque animus suevit gaudere periclis.
48. Haec patrio de more fuit per saecula sedes
49. Concilii Bōëgan. Speculandis inclitus antris
50. coetus inest, semperque novum molitur honestum
51. inceptum, Hesperiae cupiens donare coronam.
52. Hic operit laqueatam aedem regale lacunar,
53. hospita quae passim recipit spirantia signa
54. Praxiteles insculpta manu. Discrimine pulchro
55. dissimilis structura soli: pars emicat auro
56. et Pario fulgore, alibi pars ilice abundat
57. contabulata modo et Graeco variata figuris.
58. Proxima cella minor: trepidis tironibus illic
59. militiae arma docet senior. Monstratur imago
60. spelaei horridi: pueros perturbat inermes
61. occupat atque metus gelido terrore medullas.
62. Curiam at interea veterum collegia complent
63. heroum, gravibus de rebus deque gerenda
64. coeptorum serie. Solium prope praesidis exstat
65. quae lupa lactabat geminos ex ubere alumnos;
66. Concilii vexilla ferens praeponitur hasta
67. cui romanae aquilae simulacrum in cuspide inhaeret.
68. Dumque Cyānus abest, sapientes nulla resorbent
69. otia: perspicit ille levi mercede redemptum
70. thēōdōlīta, specus si alicuius forte sodalis
71. Mīkūlīc auxilio sit degrumanda vorago;
72. alter at extremas gentes molitur adire
73. et patulas fauces alio sub sole cavemae,
74. seu quam stricta gelu vetuit durissima Thule,
75. seu cui turbidior minatur gurgite Ganges.
76. Ingrediente duce adfertur simul alta palati
77. nuntius: in plateam minimam quae prospicit aedes
78. nescio quam adventasse deam ac statione potitam
79. difficili, ante fores biuugos vinxisse leones.
80. Obstupuere omnes. Liquidis de sede Bārocchi
81. abstinuit fidibus celsa, tacitusque volutat
82. Mus quid agat necopinum et vix credibile dictu
83. secum prodigium. Divino flamine aperta

84. ostia, et aetherio visa est redimita nitori
85. flava Ceres. Cirros solidum diadema revincit
86. cecropio artificii caelatum, murice dives
87. palla rubet, stibium modice commendat opacum
88. nigrantes oculos. Aurato stamine filum
89. munera Triptolemi textasque inludit aristas
90. per vestem, quam zona tenet gemmata decorum
91. circumflexa sinum. Pro sella diva curuli
92. procubuit ducis atque oleae vittata tetendit
93. infula Apollinea ramum, nudata lacertos;
94. haec exorsa loqui tandem maestissima supplex,
95. quantum per lacrimas potuit depromere voces:
96. «O vere Romana manus, quae Tartara vincis,
97. postrema manens miserae spesque ultima nostra,
98. si nullum obsequium superest Cerealis Eleusis
99. nec Tergeste solent nocturni excurrere mystae,
100. si dea cara Iovi meruit nihil, indiga mater
101. vos rogat auxilium. Florens in finibus Hyblae,
102. unica condita erat suboles, per aprica salicta
103. ut segura ageret thiaso sociata iuventam
104. Nympharum. Vitulae certatim Mars hymenaeum
105. Phoebus et eximius conferta dote petebant:
106. corde recensebam tantum hoc, suavissima socrus
107. cuius forem. Subito sed perdita fraude Tonantis
108. commoda tanta: fera turpique libidine pulsus
109. Pluto ruens properat saltus sulcare quadrigis
110. Hennaeos trahiturque Acherusia ad oppida virgo!
111. Quam sequier conata, prius rabiosa totondi
112. alta manu nemora, horribili quae caede Gigantum
113. exuvias onerata gerunt: iacuere revolsae
114. tum piceae, ingemuit viduari quercibus Aetna.
115. Frustra: namque aditum metuit recludere Cyclops,
116. praecipitem excubiis pulcher faber ille caminos
117. me ingredier vetuit, Phlegetontis ne effera possem
118. transvolitare vadum poenasque imponere raptus.
119. Innumeras miseranda feror, sine fine laborum,
120. per terras palata diu, nec tempore ab illo
121. destiti ad hoc Stygias alia in regione repostas
122. gressu alias temptare fores. Quae templa Sibylla
123. Parthenopaea tenet nec eis penetrabile fanum
124. aurea nulla quibus media frons abdita silva,
125. iam desiderio natae taeterrima adivi
126. sed mihi ferre pedem ulterius longaeva sacerdos

127. haud dedit. Extremis meditata ex finibus Haden
128. Cimmeriis petere atque Erebum perrumpere acerbum,
129. Dulichii sectata viri vestigia transi
130. purpureum pelagus: portae stetero immo silentes.
131. Lubricus interea, dum talia concita tempto,
132. ille meae vetulus Proserpinae abutitur audax
133. concubiis. Haud ferre queo, Ganymede puellam
134. a praecano adigi stupris et perpete cogi
135. coniugio in tenebra; quivis potiusque teneto
136. quam teneat sus ille senex. In clade nefanda
137. Concilium Bōëgan superest mihi. Victa maniplos
138. deprecor ut volucris iam libertate velit
139. innocuam donare nurum. Quod diva fefelli,
140. hoc prognata potest tantum ex Tergeste iuventa.»
141. Tum nimio maerore deae sunt fracta loquenti
142. verba, et operta caput gemitu commovit amictum;
143. sed tristem impatiens fletum sufferre Cyānus
144. surrexit solio, dum talia voce profatur:
145. «Etsi, sacra Ceres, mulier mortalis adisses
146. templa virorum humilis, specuum quibus aspera cura,
147. narrans turpe nefas, plagas sentiret adulter
148. extemplo Latiis infertas Pluto lacertis.
149. At tu, frugiferens genetrix, gressu patuisti
150. vera dea, ac reverens nequeat, quicumque benignae
151. complens plaustra tuae laetatur munere messis,
152. segnis ad auxilium fieri. Non mollia iussa
153. nunc pietatem animi pudeat differre morando.
154. Consilium nec stultum agitas: nam sola propago
155. nostra probare novos Carsi consuevit hiatus:
156. si quibus eripienda datur Proserpina abysso,
157. nos illi. Spatio minimo peragetur Averno
158. temporis obsidio: sitio ex tellure triumphum;
159. lucifugis liceat Romanum extendere regnis
160. Imperium. Hoc bellum solos, o Diva, decebit
161. quandoquidem crudele viros, ne nostra sequere
162. agmina per tenebras. Tibi erit Tergeste manendum
163. filia dum iuvenum ductu horum evadat ab Orco.
164. Inscia, quaeso, laborum obscura pericula mundi
165. ne inspicias matrona rogo, quia letifer antris
166. in gelidis volitans sanguen cupit ebibere atrum
167. vesperilio atrox morsuque infundere virus.
168. Hic inopina manet miseris caenosa vorago
169. relliquiasque hominum retonans subito obtegit aestu;

170. in socios alibi labes latissima inurget
171. quos perimat, solidet Iustus nisi rete cavernas.
172. Experiendi igitur ne sit tibi, diva, voluptas
173. tantum: dum legio iurata reposcere Manes
174. natam digreditur propere cunabula Carsi
175. dira, ducem libeat clarum virtute Ciaspam
176. extra aedes sequier Cincinque intrare tabernam.
177. Ut frangas segura diem, tibi sedulus hospes
178. offerat umbriculam; nostrum est devincere Avernum;
179. praesertimque mea refert succendere bella
180. inter eos, quibus est litus Tergestis origo.»
181. Vix ea fatus erat, strepuit cum plausus ovantum;
182. corripiunt iuvenes patefactis fortiter arcis
183. luciferas galeas, armis onerantur et aptant
184. baltea pectoribus. Peragrat iam Iulia in urbe
185. pompa vias, animosum agitur primoribus agmen.
186. Fert aquilam, dum pelle tegens caput induit ursi
187. Lucius exuvias; sequitur dux pone Cyānus
188. lauriger, adsuetique umeris gestare canistros
189. cistiberi incedunt; rutilat pars laeva dolabris,
190. cui propior Romana regens insignia lictor
191. imperat gloriae uti lituus gravis intonet omen.
192. Hinc rapido ascensu duxit iuga in alta cohortem
193. semita, iamque oculorum acie labente deorsum
194. oppida despiciunt: legionem Ōpicīnā salutat
195. praetereuntem, avidam Stygias aperire latebras.
196. Collibus ostriferum ad pelagus circumdatur atris
197. Tergestes; nemorum densatur solis ad ortum
198. undique silva tenax. Tellus ibi inhospita Carsi
199. porrigitur, Boreas cuius rudit arva volatu
200. transgrediens; passim lacuum tremat unda minorum
201. quos concursus aquae reparat, si forte per imas
202. effugium lapides argilla obstruxerit uda
203. putre solum. Gaudent variae stagnante paludis
204. fonte lavi volucres: ibi fit generi altivolantum
205. insidiis segura domus. Cum vespere primo
206. sideribusque Oriens niteat divinitus aptus,
207. aequora lata super Veteris Kal lintre puellas
208. labi nocte iuvat. Taedae rubet igne lacuna
209. navigii, indigeno laudes secretus amator
210. virginibus sermone canens modulatur arenis
211. continuo: longinqua pari canit aura susurro.
212. At plerumque locum regio durissima pandit

213. aridius: nullis fluviis nec fontibus ullis
 214. laetatur, latices avidae penetralibus haurit
 215. terra suis lymphas cupiens mersare profundo,
 216. ignotisque iubet reboare fluentia cavernis.
 217. Cornigeros clausisse deos cur Carsus in antris
 218. maluerit, liquidosque rapax sepeliverit amnes
 219. causa latet; Natura diu malesuada Timavi
 220. textit iter, procerum studiis inludere gaudens.
 221. Cum tolerare queant sicca in tellure perennem
 222. tantum arbusta sitim, gelidis in montibus exstat
 223. silva humilis, sed quam timeat peragrare peritus
 224. ipse loci. Ingredientis edax aper impete facto
 225. crura petens lacerat miserieque in sanguine tingui
 226. occupat, aut aliunde cadens secat aethera lapsu
 227. praecipiti accipiter, qui inimicus lumina rostris
 228. in faciem infertis stridens evellere gestit.
 229. At, quamvis metuenda habitarent monstra recessus,
 230. saepe viris Bōëgan libuit transcurrere saltus
 231. et spēlaeōlōgum numquam est deterrita virtus
 232. quominus accessus alios ad regna sepulta
 233. quaereret adsidue legio. His ignota latebra
 234. nulla diu, quoniam inveniendi excellit in arte
 235. qui populo adtonito tota in Tergeste vocatur
 236. iure "Magus Specuum", cuiusque innectere versu
 237. dactylico esse nefas fateor per carmina nomen.
 238. Perpetuo ille solet valles pervadere Carsi
 239. sollicitus spectatque solum, si cuius operi
 240. anfractus videat limen; tunc callidus astu
 241. in minimam scopuli properat submittere rimam
 242. fūmīgēnum incensum, exanimantem et odore verendum.
 243. Inde, citus faciens iter, antra incognita foetor
 244. permeat: os alibi sensit si effundere fumum
 245. sponte Magus penetrat, recolens loca putidus unde
 246. nidor coelivagas iterum exhaletur in auras.
 247. Sic vafer innumeras potuit monstrare cavernas,
 248. laurum pro meritis sine fine habiturus in aevum.
 249. At tantum patitur quaevis spelunca scientes
 250. quomodo sit subeunda: manet lugubris ineptos
 251. mors, quoscumque procax puteos dementia in atros
 252. impulerit. Magus ille docet, quam saepe in acervis
 253. vipera saxorum lateat, qui sole perusti
 254. ingressus specuum celant: deterrima natrix
 255. fauce petit fatuos et morsu membra venenat.

256. Et si quis potuit nihilominus arte barathrum
257. inferius temerare carens, in gutture abissi
258. extollit genus horrendi hunc lacrimabile leti:
259. perfida pestis enim serpendo mensa cuniculos
260. prester inest adytis. Ibi mortifer explicat orbis,
261. et simul ac pedibus conculcat forte viator,
262. continuo instillat dente immedicabile morbum.
263. Extemplo immodice carnes inflante tumore
264. expandi instituunt, artus facit aegra rotundos
265. atque caput sanies; diffuso sanguine fibras
266. iam rupisse cutim videas. Formidine capti
267. auxilium comites nequeunt adferre: relictus
268. deseritur tenebris, vetiturum alium obice gressum
269. perpetue implicitum puteo retinente cadaver.
270. Venerat huc legio iamdum. Sua ponere castra
271. incipiens per lustra prius pars quaerit eundo
272. vallum, pars aperit foveam, quae ducit ad ima
273. antra viris Bōëgan quondam comperta Timavi.
274. Arcet Eoa procul via ferrea flamina venti
275. aggere praeposito; Zephyris securus agellus
276. propter eam, specuum reserata ubi stricta novorum
277. ostia. Materiam ruri proprio addere amicus
278. et spēlaeōlōgis Carolus conducere Mīlic
279. praedia pauci equidem dedit: illius ampla caverna
280. tantis pro meritis referet per saecula nomen.
281. Traditur Assaraci Lucina inimica nepotum
282. qui Tergeste suis renovant virtutibus urbem
283. et facinus frustrari agitans, ne fluminis ortus
284. famae avida insequier posset Romana propago,
285. nocte sub obscura Veneris iussisse maritum
286. tardipedem socium sceleris fieri, atque maligno
287. igne abolere operum parvam quam ingesta replebant
288. instrumenta casam. Rubefacta equitante favilla est
289. aethra, diu tremuit flagranti vortice Carsus;
290. immo redintegratum opus est: labor aspera vincit,
291. ex summoque trahens prosapia Caesare famam.
292. Hora ineundi aderat tristes caligine fossas
293. ingredierque feram properabat turma cavernam,
294. cum comes ecce alius, numquam prius agnitus ulli,
295. advenit ac sociat iam sese in fronte cohortis.
296. Induit antiquam tunicam de more madentem
297. nautae, zona regit gladium, quem nexibus ulva
298. vincit. Ei faciem redimit nigra barba; politum

299. fert umero senior iuvenali robore remum.
300. Quem lepida adfatus dicax sic voce Rōbertus
301. advenam: «Uti videas nobiscum claustra Acheruntis
302. verum opus est aliud: potius tibi Barcōlam eundum,
303. verrendi pelage si agitat vinosa cupido.»
304. Ille procax primum voluit configere terra
305. remum, hilarisque dein Graecis responsa loquellis
306. sic fatus: «Cur tale iocum trans circulum, amice,
307. dentium abire sinis stolide? Sic notus Ulixes?
308. Qui multorum hominum mores et oppida mensus
309. efficit ut niteat sua gloria in aethere summo?
310. Tiresia edixit rursus mihi pontus arandum
311. sollicitum Neptunum alibi dum caesa placaret
312. victima; sed cursus ratium Tergestis ad oras
313. direxi, cupiens iter hoc metuendum in Avernum
314. vobiscum indugredi. Facinus superaddere tantum
315. me decet antiquis gestis, semperque petitor
316. laudis nobilium iuvenum induperante Cyāno
317. ibo comes. Reditu fuit experientia in illo
318. magna quidem specuum mihi, quam Polyphemos in antro
319. soli oculi testatur egens, qua funditus umbras
320. Cimmeria in fovea potui spectare reclusas.
321. At, si quid superest odium, quod moenia Troiae
322. hac cecidere manu, pelagus ferat uda procella
323. in superum. Ex animis cedat grandaeva simultas,
324. atque aeterna Ithacae cum Roma foedera sunt.»
325. Vix ea fatus erat, dedit haec cum verba magister:
326. «O Laertiades, te equidem salvare iubemus:
327. noster eris. Faciet Bōëgan compago triumphī
328. participem. Etsi operum sitiens cor nisibus audax
329. his numquam graviora tulit, me consule bella
330. tanta potes sufferre. Moras rumpamus: eundum,
331. Orci ut transgrediens fugiat Proserpina limen.»
332. Haec simul atque dedit, funem immisere sodales
333. in puteum: princeps coepit descendere raptim
334. Mus, sequiturque tenax et multa lampade onustus
335. Lucius; inde subit generose cetera fossam
336. centuria. Artum inhibet descensum in rupe foramen,
337. instabiles scopuli collapsu instante minantur
338. mortem, si quis in ore baratri improvidus ictu
339. summo congeriem moveat pedis. Horrida ductum
340. moenia constringunt, quis dura extrudere saxa
341. rete vetat tenuique regunt vix stamina ferro.

342. Maius onus tolerare queunt prolati in abyssum
343. subtiles cusi solido ex adamante cylindri
344. qui prohibent passim tenebrosa cunicula ruptis
345. pumicibus subito compleri et claustra negare.
346. At, quamquam gravibus legio compressa periculis
347. undique, per minimas pernix decurrere rimas
348. perpetierque situ prisco putrida antra deorsum
349. sueta meabat. Iens nolit cuique esse secundus
350. et properat princeps Ithacae regnator Ulixes
351. speluncam penetrare, locis quae vergit Eois;
352. quem frenare Magus rapida cum voce coactus:
353. «Fornicibus patulis ne inludant, callide Odysseu,
354. atria, per caveas nec somnia vana sequaris.
355. Sub laqueari igitur lapidum degenda tibi omnis
356. vita foret, frustra quaerenti in nocte Timavum.
357. Haec eadem nimios annos spelunca fefellit
358. quot pridem illecebris nolentem nympa Calypso
359. insula in Ogygia tenuit te, diva dearum,
360. ut fieres coniunx patriaeque oblitus avitae.
361. Hinc propius cautes aliquo perfodit atroces
362. nostra manus: lapsus subeundus, ut alite monstrat
363. carmine Lazareis.» Minimum patet aggere in alto
364. saxorum ecce cavum; tremulos suffundere lampas
365. continuat radios vitream per capsulam, aquarum
366. quae expers sicca manet gummae obturante sigillo
367. conlustratque viam. Coepit subrepere tantum
368. obicem anhela cohors; serpens petit ille Cyānus
369. difficilem egressum, comites quem pone sequuntur
370. impavidi. Ex fovea Zephyrus sudore madentes
371. laetatur levior, longinqui et fluminis offert
372. auspiciū. Decurrit iter sub mole ruinae
373. raptius, ac puteus praeceps exhaurit euntes,
374. quo legio dicto citius degressa rudentis
375. duplicis auxilio. Ventum est, ubi lubrica Pici
376. Aula latet: fervent animi, nequit alma morari
377. turma. Solum obscurus patulo interrumpit hiatu
378. alter ibi puteus: Nigrum dixere sodales
379. ex atro pariete loci cognomina nanti
380. congrua. Perfidior perhibetur ad ultima Averni
381. hinc via stricta quidem et saxis circumdata acutis,
382. qua spēlaeōlōgus spatio constringitur arto,
383. et si forte nequit cautes vitare movente
384. fune, pede impactum relevans, ibi vulnera saeva

385. dat damnosa silex foedat corpusque cruore.
 386. At numquam pavidus tanto in discrimine Ulixes
 387. arrepta nunc fune volat barathrumque lacessit
 388. eximius, virtute pari qua ex ventre dolosi
 389. lapsus equi Graios perituram immisit in arcem
 390. Dardanidum, hospitium temeratum stragibus ultus.
 391. Cum tetigitque inopem latebrarum lumine fundum,
 392. terque quaterque trahens signum dedit ille rudentem
 393. progrediendi. Aliter statuit fore turma peractum
 394. idem opus: in media trochleam iam clavibus aptant
 395. sublice, quae super umiferos incumbit abyssos
 396. transiliens. Caenosa anulo mox chorda retracta
 397. inseritur: volvente rota, demittitur alter
 398. alterius per claustra manu. Sic tempore victus
 399. his Niger est Puteus minimo; permensa laborem
 400. durum, se reficit legio in radice camini.
 401. Imminet ast aliud memorandum horrore periculum:
 402. fornice sub modica, quae Luci lampade formis
 403. luxuriat variis et stālagmīte retorta,
 404. faucem aperit puteus, cuius discernere finem
 405. haud potis est oculis cuiquam; cognomine Mīlic,
 406. ut supra breviter descripsit laude poeta,
 407. cognitum. Abhinc gravius cunctis iter incipit, atque
 408. qualem non specuum temptent peragrarē profani;
 409. difficilem at iuvenes descensum funibus audent
 410. aggredier. Scatebris ex multis rupe repostis
 411. defluit amnis aquae, galeas et tempora tundens,
 412. viscidam uti miseri vix in caligine chordam
 413. corripiant digitis. Romana interrita perfert
 414. coepta cohors: pedetemptim adytum sepelitur in ingens
 415. inferius, virtute virum fovea improba victa est.
 416. Et spēlaeōlōgi posuere in putre cothurnos
 417. postremo spodium, latices quod ad infima fossae
 418. continuo adcumulant. Gelidis ibi panditur aula
 419. vestibulis, quorum alterius putei ore patente
 420. praecipitat declive solum. Subito ille Cyānus
 421. stare iubet: comites parent ducis agmine facto
 422. iussu, et pectoribus strictam imposuere dolabram.
 423. «O maiora viri passi, hic decet orbitam amicos
 424. sistere et elogium breviter narrare perempti
 425. herois, Libitina ferox quem termine in ipso
 426. magni operis rapuit, nitidum furata tropaeum.
 427. Haec fovea egregii proferet per saecula futura

428. insignis virtute Tietz lacrimabile nomen
 429. cui par nullus erat, rimas penetrare necesse
 430. si foret, infernasque astu reserare cavernas.
 431. Quem procul auriferi fontes aperire Timavi
 432. dum studet, atque vacat toto iam corde labori,
 433. indignata suos thalamos inludere Nais
 434. corripuit tumido populans torrentis in auctu.
 435. Romanum nunc flere iuvat, qui robore primos
 436. praestiterat Decios animi priscumque Camillum;
 437. et, quamvis iuvenes illum ex Tergeste quotannis
 438. funebribus soleant memores extollere ludis,
 439. vos, quocumque trahant Erebi secreta viarum,
 440. cuius in exemplo gressum scitote feratis.»
 441. Haec ubi dicta dedit gemitu, omnibus umida fletu
 442. lumina facta, iterumque operam navare resumpsit
 443. centuria; hanc sequitur pueri nece maestus Ulixes,
 444. amissosque dolens in longo errore sodales.
 445. Accivit puteus sorbsitque voragine hiulca
 446. visu terribilis legionem. Forte cuniclos
 447. non equidem inveniatur speculator ibi: ampla caverna
 448. panditur in vacuum fundique negatur imago;
 449. per sonitum mensura datur, quem pumice ab ima
 450. ferre repercussum sursum lepida excitat echo.
 451. Vincere at aetherium barathrum de vertice lapsus
 452. Angelus esuriens, coniuncta volumina chordae
 453. proicit in tenebras, mora nec tenet ulla: deorsum
 454. funem iam volucer stringens vanescit in umbris.
 455. Vult comiti in spatio pernix Mus esse secundus
 456. transvolitando: aliter doctus tractare rudentem
 457. decelerat pedibus nexis subiens leve pondus
 458. corporis, inde Rōbertus agens descendit abysso
 459. indomitos socios. Illic laceratur acutis
 460. cautibus atra palus, caenoque immensa redundat
 461. massa, modoque picis constringit crura ineuntis.
 462. Haud spelunca equidem redigi in putea improba suffert
 463. ulterius: plano tractu spiracula passim
 464. multa patent, quorum iuvenes in quaestibus usque
 465. elusit numerus vacuo et sudore fefellit.
 466. At iamdum novere viri nancisci ab acerbis
 467. effugium claustris: rapide luta putida mensi
 468. aequum perque adytum serpentes, curva penetrant
 469. quae loca difficilem cubiti de more reflexi
 470. vix possunt praebere viam. Cum semita in antro

471. artior inter iners caenum sine fine mearet,
472. ecce gerens secum sonitus refluentis aquai
473. perculit insuetos Zephyrus gradientibus aures,
474. fluminis augurium. Celeri vice proxima meta
475. vires ingeminat, patefit rupestre tribunal,
476. aquoreum unde tremorem incepit reddere lampas
477. adtonitis radiis. Laticumque auditur ab imis
478. murmur aquis; saxoso iterum iam chorda pependit
479. e laqueari, aliud facinus propere Angelus ausus
480. stamine suspensus leviter secat aethera abyssi.
481. Ripa hypogaea virum tenui vocat hospita harena;
482. pone Rōbertus eum sapiens de fune relapsus
483. vult imitare sequax, spatio nec temporis ullo
484. centuria omnis adest. Tremula sub luce caverna
485. donat vasta lacum, praeseptum mille columnis
486. quas salibus locuples struxit per saecula aquarum
487. eluvies. Specuum reserata arcana videtur
488. mirari Lāertiades fremitumque fluentis
489. gurgitis; ipsa favet lingua post dura laboris
490. turma, triumphatum sistens reverenter ad amnem.

1. At, simul ac tetigit cursus et operta fluenta
2. quae per iter tectum peragranti tellure Timavi,
3. quanta forent tacite repetivit coepta iuventus
4. vexavitque animos dubios formido parumper.
5. Hactenus esse vias iam pridem robore apertas
6. Concilii Bōēgan stupuit vix credulus orbis;
7. serpere at inferius Plutonis ad arva sepulta
8. hinc labor, hinc opus est. Saliens fremit unda susurro
9. semper inexhausto, fluvii vada debile lumen
10. inlustrat perhibens rupes de fornice lapsas
11. amplificatque metum. Meditari ignava Cyānus
12. indocilis vetuit socios: dux obicem in altum
13. scandit et aggreditur verborum verberare coetum:
14. «Incohet Assaraci legio nunc germine digna:
15. Romanum est properare gradum, quo ostendit acerba
16. uberius discrimina iter. Generosa Camilli
17. non tulit illa manus faciles prostrare duello
18. hostes: Brennum etenim tumidum invasere rapinis
19. centuriae, ut famuli fierent sub compede Galli.
20. Si quibus atra Erebi caligo corda momordit
21. paruerit quod adhuc ad Avernum semita nullus,
22. dissociabile hiet puteum neque opaca per antra,
23. hunc fluvium miramini: erit via nostra Tlmavus.
24. Ad ripam ruite; auxilium Cerealis anhelat
25. extorris suboles. Consternite flumina cymbis:
26. omnibus esto dehinc fluctus sulcare necesse,
27. vivere non opus est.» Unitis vocibus «Eia!»
28. respondere viri, coepitque in litore lintres
29. ex gumma conflare cohors. Dux agmine nutu
30. evocat ille Magum secreto et callidum Ulixem
31. participesque facit curae: «Statuisse iuvabit,
32. o comites, utrum adire caput fontesque hypogaeas
33. praestet, an ulterius cursu vehi in amne secundo,
34. ostia persequierque ubi flumina pontus inhaurit.
35. Tartareos aditus certum est celare Timavus,
36. nescio quos.» Ithacensis ad haec sermone profatus:
37. «Dux, animam exanguem vatis cum quarerem in umbris
38. Tiresiae, spissa memini manare mephite
39. templa domusque deum, quibus infera plana reguntur.
40. Nidores picei flamenque acidum inveniendum:
41. signa quidem certissima erunt, nec fallere possint.»

42. Audierat quae verba Magus: iam naribus ultro
 43. explorat patulis, agitetur forte per auras
 44. si quid odoris; eodem astu, quo saepe propritum
 45. comperit indicium specuum per pascua Carsi,
 46. pugno aliquantum adiens ripas prope carpit harenae
 47. laxatisque sinit digitis cadere. «Arida pulvis
 48. vento agitur fontique sitit celerare retrorsum,
 49. immixtusque potest genitus de sulphure putor
 50. percipier. Ratibus cuius repetatur origo,
 51. prona fluenta sequi libeat.» Sic litora relinquunt
 52. sollicitantque vadum remis: iam flumina classis
 53. flexilis atra secat, cursum moderatur Ulixes.
 54. Defluit immanis fluvijs per claustra cavernae
 55. principio patulae, multis mirabilis aulis
 56. quae dōlōmīte nitent: speculis vibratur in udis
 57. torta silex, hominesque interdum imitatur imago.
 58. Remigio cuncti intendunt, volat acta lacertis
 59. cymba, cavo tacite specuum delapsa sub arcu,
 60. nec mora longa iteris: post flexum adparuit ingens
 61. promunturii apex, quo fluminis unda secatur
 62. dividua, et geminas rescisso vortice valles
 63. adluit. In summis saxis geniale sacellum
 64. Herculeae struxere manus, cum tempore primo
 65. limina Tartarei temerasset carceris ultor;
 66. fana nitent facibus, praeterque inscriptio euntes
 67. formidare iubet monitum de marmore prodens:
 68. Ἀλκμήνης τέμενος καταβάς δόμον ἠερόεντα
 69. καὶ Διὸς υἱὸς ἔθηκε· δύω ποταμοῖο κέλευθοι
 70. ἔνθα πέλουσι. Φέρειν θανάτου ποτὶ πότμον, ὀδίτα,
 71. δέξιον ἴσθι· βροτοῖς στυγερὸν τάδε ρεῖθρα πορεύειν.
 72. Mus legit intrepidus carmenque irridet inane,
 73. dextera adire ciet classem dum voce fluenta.
 74. Protinus incipiunt rabido retumescere in aestu
 75. aequora, quae citior fluvijs per stricta tonanti
 76. praecipitat strepitu. Nebulis caligo pererrat
 77. spissior, ac veluti stipulae quae turbine in Austri
 78. transvolitant, ductu laticum torrente feruntur
 79. iam lintres miserae. Remis utuntur amicti
 80. adsidue comites tenebris: Itahcensis inhorret
 81. obicibus, quales timuit cum cerneret ossa
 82. relliquiasque procul ratiū, quas mergi in opertos
 83. egisset scopulos malesuado carmine Siren.
 84. At quamvis gravibus gurges rudat ictibus asper

85. navigia adficiens, fretum ac exitiale lacessat
86. impete, lascivae rabiem frustratur aquai
87. lintris materies, in saxaque gumma resultat
88. flexilis, et Bōēgan verrentes aequora tonsis
89. centuriae furiata inlaesa puppe geruntur.
90. Dum cumulos equitat, dum vorticis ima vicissim,
91. turba metus solitum vincit paeāna canendo:
92. «Plurimum inest Carso specuum: ratione docebo
93. omnes qua liceat vobis lustrare: labore
94. et constantia opus tantum. Loca condita fundo
95. consequier poterunt scalis et funibus usu.
96. Spēlaei domitor, macte, o fortissime vindex;
97. macte, Senex quoniam latet atro in carcere clausus».
98. Paulatim fluvii vada decrevere procella
99. concita, tranquillisque iterum fluit inferus amnis
100. in plano quod luce caret: per opaca Timavi
101. nomine deposito Phlegeton decurrit ad Orcum.
102. Classis iniqua vadi transgressa ad litora sospes
103. adpulit, horridior deformi caute ruina
104. fluminis unde secat cursum. Sunt ampla cunicli
105. ostia et interius sub curvo fornicis arcu
106. semita degreditur.«Passos peiora» Cyānus
107. inquit «inire iuvat, finemque imponere bello:
108. meta manet propior. Longe mugitum Acheruntis
109. nonne datur nostris audire hinc auribus? Atqui
110. multa pericla super, certe quia Pluto repugnans
111. coniugis invitae thalamos defendere perget.
112. Excubiis magna cum cura insistere praestat:
113. callidus edixi mucronem acuisse dolabris!»
114. Sic ducis eloquio iuvenum iam cautior ordo,
115. scrupea limina adit specuum, inreamabile temptans
116. pridem aliis facinus. Paucos sed in horrida passus
117. coeperat antra gradi legio, stridore per auras
118. cum magno volucres dirae inrupere deorsum
119. ac spēlaeōlōgos vexant putentibus alis,
120. unde pluit sanies. Strophadam ruit improba proles
121. noxia quae dapibus rostris minitatur aduncis,
122. ingressum prohibens, foetentia qualia monstra
123. purpureum pelagus transgressus et aequora avara
124. sustulit Aeneas, voluit quam Harpuya iocari
125. flebili et augurio comesae inludere mensae.
126. Ast avibus gladium princeps intendit Ulixes
127. iurgia non docilis patier: dum stulta Celaeno

128. fit propior tutaeque rata indulgere rapinae,
 129. heros ecce secat necopino fortiter ictu
 130. guttura prodigii. Portenta haec Lucius inter,
 131. peram aperit, pugnaeque novae instrumenta gerendae
 132. extrahit: his subito connectitur adcumulator,
 133. machinam in Harpuyas deinde intentat olentes
 134. providus inventor: «Romano obstare triumpho
 135. scite fuisse nefas: iam lux mage lumine Luci
 136. luceat!». Immundas convicia mittit in hostes
 137. atque strōboscōpīca Xēni opaco lampade in antro
 138. succensa ecce aciem caecantia fulmina fundit.
 139. Amisere procul subito quae fulgure visum;
 140. impete saxa agitur parietum in acuta suopte
 141. quaeque: volant pinnae, fracta cervice deorsum
 142. corpora more hiemis pluviae polluta cadebant.
 143. Sic spēlaeōlōgis genus est immite peremptum
 144. Harpuyarum, alienum insuetum absumere cibum,
 145. quas comites Troia profugi timuere, fugatus
 146. quis pater Aeneas secuit vada fervida remis.
 147. Victor progrediens inimica in caede Cyānus
 148. sic ait: «Edoceant nostrorum exempla nepotes
 149. haec virtutem; alio sed eodem robore signa
 150. duc, Romana cohors, semperque audere memento!».
 151. Inde citant cursum iuvenes. Praerupta ruinis
 152. labes porrigitur: Cocyti ibi nigra locorum,
 153. feta gravi nebula. Nescit compagine inani
 154. glarea sustinuisse pedes, perhibentque dolabrae
 155. fulcra. Labore viri vexantur dura vagati
 156. descensus, lassata via atque exercita saxis
 157. crura dolent, veluti si quis petiisse cacumen
 158. Aetneum cupiat necopine, ignava relinquens
 159. otia: mox madidus sudore exhalat anhelum
 160. spiritum, et ipse miser comitatus fabula fiet.
 161. Ima tamen tetigere iugi, nitor unde resurgens
 162. certior infernos apices dat cernere longum
 163. in spatium: adparet tandem prope limen Averni
 164. omnibus adventasse, rigentque in pectore corda.
 165. At, minimam requiem dum audent sperare pericli,
 166. latrans aethra truci tonitru tremit antra per atra,
 167. tergeminumque caput rabidus protendit hiando
 168. Cerberus, audacem cupidus lacerare cohortem
 169. dentibus, atque hominum morsu discerpere carnes.
 170. Stat validus Magus ille loco saccumque relaxat:

171. fumigeni extracti succendit stamen et ictu
 172. callido avara canis facit ut malesuadaprehendant
 173. guttura dona, feroxque cito gula devoret offam.
 174. Sed simul ac monstri in mediis perfunditur ignis
 175. visceribus, stomachum propera face saeva perurit
 176. ustio: iam torrente foco desistere cursum
 177. cogitur, et piceos fumos ex naribus efflat.
 178. Haud compos misere coepit se volvere in uda
 179. pulvere, dum patulis glaciales faucibus Euros
 180. captat: aquae gelidae longinqui Acheruntis egenus
 181. eiulat effugiens, caudamque hausere tenebrae.
 182. Fortis iter renovat legio, gavisatropaeo.
 183. et patuere levi Zephyro caligine abacta
 184. Elysiae sedes, quibus insuper astra refulgent
 185. lumine purpureo, coetus mirata piorum.
 186. Centuriam ingredientem hilaris petit alma propago
 187. signa salutatum, Latiasque videre secures
 188. exilii post aeva iuvat; sapiensque Robertus
 189. comiter adloquitur dantem illis iura Catonem.
 190. Increscente virum studio, sine fine probandum
 191. qui meritis solidare futura in saecula nomen,
 192. Concilium Bōčgan certant laudare frequentes
 193. magnanimi heroes. Maestum Tergeste profecti
 194. te spēlaeōlōgi recolunt, Marcelle, decorum
 195. gaudes qui comitem sociatum in funere acerbo
 196. elegisse Tietz; sequitur per amoena virecta
 197. ille, novo veteres describens ordine amicos.
 198. Moenia iam iuvenum turmae propiora Palati
 199. cernere taetra datur Ditis: disponere tempus
 200. agmina, quis rapide peragantur bella. Cyānus
 201. dividit in geminas acies et cornibus altam
 202. duplicibus factis Erebi gerit impetum ad urbem.
 203. Induperat dextrae sitiens lauri ipse cohorti;
 204. Lucius in laeva consul cum Mure tribuno
 205. signa movet, brevior petunt quae tramite portas.
 206. Āriētīs hasce loco cupidi subvertere tractant
 207. sublicam et incutiunt pulsu, dum "Mula Parenti"
 208. concinitur resonante choro; pars altera vecte
 209. cardinem avens alibi devellere ab obice muri
 210. aestuat, atque meri potorem carmine cantat
 211. ex Tergeste canem: tremit urbs obsessa boatu.
 212. Interea ad nigro ferro laqueata tyranni
 213. delubra adcurrit Rhadamas metuendaque anhelus

214. nuntiat: infandum facinus mortalibus actum
215. Romuleasque aquilas equitare per oppida Averni.
216. Harpuyarum equidem constrata cadavera in antris,
217. Cerberi et excubiis iamdum infera templa carere
218. regna sepulta capi, nullam superesse salutem.
219. Quo audito, trepidans pervaditur aula tumultu:
220. ostia proxima adit Minos, iam sarcinam Erichtho
221. complet abinde ruens volucris, Furiasque paventes
222. egerit Allecto terrore ex aedibus amens;
223. quippe metu tacta ipsa animam Proserpina sensu
224. deseritur solioque cadit porrecta supine.
225. Tanta in clade suos famulos nunc Pluto precatur
226. multis cum lacrimis: scelerum communiter ausi
227. sint memores secumque ferant. Fugiente resedit
228. concilio; una manu stringens Tarpeia chelydros:
229. «Usque adeone mori» risit «miserum esse fateris?»
230. praeteriensque ruit vacuaque reliquit in aula.
231. At dicto citius franguntur pessula portae
232. ultima, saeva petunt nivei triclinia Ditis
233. iam spēlaeōlōgi Romanaque signa coruscant
234. undique, dum gladium Plutoni intendit Ulixes
235. atque necem minitatur. Ei sic orsa Cyāni
236. vox liquida, imperioque Quiritum haec digna profatur:
237. «Spurce senex, rebare deam te posse rapina
238. coniugem habere? Pios nescis superesse per orbem?
239. Nunc legio specuum dominatrix crimina raptus
240. ulta abolet, premuntque Erebum dicione secures.
241. Frater et ille tuus leno, qui fallere suetus
242. innocuam subolem Cereris damnavit ad umbras
243. auxilium tibi ferre nequit: de culmine pulsum
244. a meliore deo nunc Thessala terra coercet.
245. Concubitusque procax tibi si qua libido salacis,
246. ambubaia Novae Goricae quaerenda popinis:
247. moechum te pudeat castam vitiasse puellam,
248. cede throno!» Quis Pluto minis tremefactus oboedit
249. dant alapas socii, stomachatus Lucius urget
250. calce nates: profugus tenebrae ille elabitur atrae.
251. Continuoque subit victoribus altera cura,
252. exanimem refovere deam. Laxata lacertos
253. stat teretes dubiusque datur labio halitus aurae.
254. Zona adamante rigens vestes complectitur ostro
255. conspicuas, levi retinetur iaspide palla
256. serica, luce nitens gemmarum, turgidus implet

257. quam sinus uberius; tetigit male compta comarum
258. spira nigris umeros flexa cervice capillis.
259. Paulatim recipit reserans dea languida vires
260. lumina, at insuetae facies iuvenumque figurae
261. excruciant terrore alio. Tremit illa: Robertus
262. tranquillare valens friulana ex arte lagoenam
263. vitis aquae relinit lepidam, descripta Nonini
264. quae titulo, phialam properatque offerre bibendam.
265. Iam Proserpinam init recreatus spiritus haustu:
266. diva serena novos perlustrat grata sodales.
267. Verba benigna tamen mavult supplere Cyānus:
268. «Non vacuo indulsisse metu, pulcherrima virgo,
269. tempus. Macte! tuis votis laxentur habenae:
270. ex Tergeste mea huc descendit turma triumphans
271. matre rogante tua. Potuit quo Roma renasci
272. ire licet. Tristis regni demitte prioris
273. sceptrā: nurus fieri in solis tibi lumine detur.»
274. Reddidit illacrimans talem Proserpina vocem:
275. «Nomine digne patris, super omnes nobilis heros,
276. lubricus ardalio me quot per saecla peremit!
277. Hunc quotiens sperare diem lux livida Averni
278. suaserat, ut tantum renovaret Vesper opacum
279. servitium! Tenerae matris quae cura relictæ,
280. quam dolui exangues comitari pallida Manes!
281. Tanta fuisse prius iubeo: nunc libera terram
282. Hadriaco cuius resonanti tunditur ora
283. te duce consequier sinor. Hinc scandisse cavernas
284. discipulam instituens fac me sociam esse salutis!»
285. Adnuit hoc consul sapiens, sed iure merenti
286. dat requiem legioni: iterum remeare per antra
287. haud facilis labor. Alma cohors defessa remansit
288. aedibus in gelidis: breviter fruitura quietis
289. munere, Tartareis aquilas defixit in arvis.

1. Robora terribili consumpta errore per umbras
 2. restituisse iuvat, reficitque per otia vires
 3. grex spēlaeōlōgum. Disponit in ordine cirros
 4. pectine diva canens, speculo et formosa probatur;
 5. hi reparant epulas frugi, cita luditur illis
 6. briscōla, porrectus patule Plutonis in ipso
 7. Mus solio recubat, Tergestis et acta diurna
 8. more legit solito. Requiem ex omnibus unus
 9. abnuit, impatiens aliquid restare gerendum
 10. dux operis. Iam consilium sine pace Cyānus
 11. cogitat adsidue, variaque in mente revolvit
 12. expediat quibus inde modis conducere sursum
 13. tam lassam exilio thalamique horrore puellam.
 14. Quaestio quin specuum muliebri dissona sexu
 15. traditur, et soli iuvenes ita dura cavernis
 16. bella gerunt. Poterit dea num rabiosa Timavi
 17. per vada transgredier, puteosque ignara lacertis
 18. scandere praecipites? Longinqui luminis ora
 19. quomodo sit cum tardigrada repetenda sodali?
 20. Dumque metu cruciatur inops preaecordia consul,
 21. hunc adeunt socii taciturnum Mīkūlic atque
 22. Zuffī, quibus nequeant numerorum arcana latere,
 23. atque tōpogrāphicā doctrina imbutus uterque.
 24. Sic orsi breviter quem compellare loquella:
 25. «Nobile praesidium nostrum, o fortissime ductor
 26. centuriae Bōēgan, si sancto in pectore versas
 27. quo melius peragatur iter, fortasse iuvabit
 28. nostra dabitque alios ratio percurrere tractus.
 29. Nam, quantum occiduam ad plagam penentralibus antrum
 30. Jerkī porrigitur, tantum Phlegethontis Ēōa
 31. fluxus iens reducis cupit insectare hypogaeis
 32. termina gurgitibus: quocirca in cardine nostro
 33. Prosecum minime ignotum superesse rearis.
 34. Ergo monemus uti liceat, mortale priusquam
 35. id rursus temptetur iter, Stygis ima iugorum
 36. scrutari: inspiciendum aliter si forte cunicli
 37. agmen ad astra ferant, divae magis apta cothurnis.»
 38. Adnuit ille, Magum iubet ac partire laborem.
 39. Progredier celerant nocturna per oppida Ditis
 40. elapsi; iam taetra secant viburna tenebris
 41. praeruptasque vident cautes, quibus undique Averni
 42. est regio vallata: tōpogrāphicā arte gubernans

43. suadet iter levius Phlegetontis in aggere Zuffi.
44. Hinc adlive solum sub montibus arida nutrit
45. ilicibus rutilus nemora: infera saxa ruinis
46. conglomerata vetant collapsis debilem in altum
47. ferre pedem, egrediendi Erebo spes vana videtur.
48. At digitum Magus ille vafer nunc rite saliva
49. umectat Zephrisque vagis exponit: hiatu
50. ex parietis enim modico prope flamina venti
51. invenit exspirare; petras accedit et intrat
52. oclusum interius saxo impediante foramen.
53. Saccum aperit, si suppeditet quid ibi utile: amici
54. admirantur eum. Ferrata calce repulsans
55. rupem audit sonitus, citiorque ubi redditur echo
56. inscripsisse crucem gypso exorditur. Abinde
57. destringit manibus terebram portabilem, et addit
58. tortam helicem, quae per medium rigida occupat octo
59. millimetra ac solidata aptam caementa metallo
60. perfodere. Illa rotat, silicis stridore peresae
61. aures percutiente. Magus satis isse profundo
62. arbitratus, eam retrahit; cava follibus usus
63. perflat, pulveribus proiecto flamine purgans
64. vel minimis. Cuneum, rutilans cui vestit utrumque
65. lamina aena latus, sapienti comparat astu;
66. inserit arma dein terebrata in viscera cautis,
67. malleo et invitum clavum rapide ictibus urget.
68. At subito scopulum apparet fractura per omnem:
69. compagemque nequit rupes retinere, boatu
70. terrisono lapides passim iaculatur. Inhaesa
71. congeries, quamcumque modo obtinere cunicla,
72. obice nunc pereunte ruit. Magus impete saltus
73. vitat, tuta petens, silicum letale fluentum;
74. saxa tremente iugo specuum sine fine vomuntur
75. clausis ex spatiis. Tandem decrescere labes
76. visa, nec exhaustus turbo furiatur harenae.
77. Purior ecflat abhinc Zephyrus: spiramina tandem
78. Carsica odore fragrant telluris vitiferai.
79. Exultant socii, amplexu laetantur in uno,
80. incensis facibus magnoque accire cohortem
81. incipiunt strepitu: paulo post tempore pompa
82. infera quae tremulis collustrat flumina taedis
83. cernitur adveniens. «Citius» Magus inquit «adite:
84. hinc patet effugium!» Ridet Proserpina tantum
85. aggrediens facinus, princeps subiisse cuniculum

86. solis pergit egens iubaris. Vetuere Cyānus
 87. et Magus esse ducem iuvenem deam: inesse pericla
 88. haud comperta novo ductu, magis agmen Ulixes,
 89. qui post Tiresiam consultum exisset ab Orco,
 90. ferret pila igitur primus. Sic dignus honore
 91. corripit ille manu gladium, mirabilem et intrat
 92. anfractum intrepidus; Mure imperitante sequuntur
 93. ceteri. Iter scopulis praeruptum adclive lucerna
 94. debiliore nitet: fornix demissa moratur
 95. progressum, instabilis parietis saxa perinde
 96. ac glandes comitum in caput emittuntur ab alto,
 97. terrificoque adytus fluxu madefactus aquarum
 98. perfida subsidia et tutamen calcibus offert.
 99. At dea non docilis sursum nihilominus ibat
 100. ocior, exsiliens in caudem ex caute resultans,
 101. more quidem capreae, quae aliorum in culmine Sauris
 102. montium avet coryli rupes redolentis amore
 103. scandere inaccessas. Miseris balatibus haedus
 104. in convalle nequit genetricem accire retrorsum:
 105. illa per arios apices volitare videtur,
 106. vescitur ac teneris herbis in vertice victrix.
 107. Maior at extemplo gressus vetat aridus obex
 108. immensae molis: patet in latere artus hiatus,
 109. qua Lāertīādes nitidis penetrare lacessit
 110. frustra umeris. Subiens temptat transcurrere rimam
 111. exiguam macrior, iamque eluctatur ab imo
 112. tramite Mus. Saxum confixo vecte movetur,
 113. amplificatque cohors spatium nitente pusillo
 114. exterius socio. Cautes de sede priori
 115. volvitur, et pedetemptim aperit legio aspera multo
 116. cum sudore viam: validus nunc impete ventus
 117. caenosas facies optato verbere pulsat.
 118. Et tandem subito barathrum patuisse cavernae
 119. cernitur; ab miseris paries utrimque recedit,
 120. et duxere gradus spatii ubi panditur ingens
 121. crypta, oculisque labor tolli in sublime lacunar.
 122. Quale Rhodi ad pelagus portentum extasse Colossi
 123. traditur, aut quanta Aegypti dominatur harenas
 124. pyramis, haec specus interius servare reposta
 125. possit, et omne movet maiestas pectus abyssi.
 126. Nempe, Tonans hominum generi cum taetra dedisset
 127. fata, luensque scelus moreretur turpe Lycaon,
 128. antiquum refluens petiit mare faece Timavus

129. hac luteus, tonitru horrendo per claustra sepulta
130. saxa cavans fodiensque suis ita fluctibus aulam.
131. At, simul atque acie lustravit tanta Rōbertus
132. antra, loci repetens aliunde in mente figuram:
133. «Coelicolae» dixit «nostra ab legione litantor,
134. qui spēlaeōlōgos Stygis eripuerē periclis!
135. Hinc quoniam dabitur facilis iam copia eundi:
136. Antra Gigantea enim subito patefacta cohortem
137. accipiunt gremio nostram. Miracula ad auras
138. prodigiosa gerent gressum, quibus ima dehiscunt,
139. et quorum pars magna fui. Nam semita, lampas
140. cui perhibet specuum per devia splendida lucem,
141. praeside me ventura quidem est in saecula parata,
142. Titanisque viros Bōēgan transducat ad oras.»
143. Mirantur iuvenes resonantia claustra, decorum
144. ex dōlōmītē adytum rosea, saliensque per umbras
145. flumen. Uti Troiad noctu venere precatum
146. Dardanides matres perituras Pallada ad arces
147. terribilique deae Phrygio de more canora
148. pompa tulit reverens piceas in lumina taedas,
149. lampades innumera serie per viscera montis
150. lumine iter monstrant perhibentque adclive benignae
151. tramitis indicium. Primos Proserpina passus
152. cum solido in caemento ageret, de fornice celso
153. prodigium obstupuit tuita, unde per aethera lapsi
154. albentes leviter gemini spatia ampla cylindri
155. permensi repetunt terram: miracula fundo
156. luce nitent, nox spissa super dum machinam opacat.
157. Est iuvenis mirata dea: hac cum voce Rōbertum
158. compellat, rerum cupiens cognoscere causas:
159. «O pater, atra potens fidibus discrimina mundi
160. Tartarei cantare tuis, dic tanta columna
161. quid velit: anne regens laqueare immane sub ipso
162. pondere collabi vetuit frenatque ruinam?»
163. Olli verba comes subridens reddidit heros
164. virgini, et ignotae speluncae arcana recludit:
165. «Non ita, Diva: levi referam secreta loquella
166. atque hypogaea simul quae sint opera illa docebo.
167. Cum super innexos Carsi tua prisca sodalis
168. saltus transvolitat stellanti errore Diana,
169. vis longinqua deae terram pelagusque profundum
170. permeat, ac Triviam sequier primordia rerum,
171. quamvis sint equidem multa tellure sepulta,

172. has desiderio rupes penetrante moventur.
 173. Haud secus ille, vides quem clarum albore, cylindrus
 174. continet interius suspensas stamine massas
 175. penduli, et ex minimis terrae decernitur aestus
 176. nutibus, elicente illorum semina Luna.
 177. At, si tanta animus cupiet devincere opaca,
 178. Naturaeque graves gaudes percurrere leges,
